

F.H. 52 (11)

(Nat. 11)
(Acc. f. 1882/8)

Za
5020

FU



3

DECANUS
SENIOR ET RELIQVI DOCTORES
FACULTATIS THEOLOGICÆ
LIPSIENSIS,

Ad
JUSTA ANNIVERSARIA

V I R O

Summe Reverendo & Magnifico,

D O M I N O

JO. BENEDICTO
CARPZOVIO,

Theologiæ Doctori & Professori
Publico Ordinario, Facultatis ejusdem Seniori
& Decano, Consistorii Electorails & Ducalis
Assessori, Canonico Misnenfi, Alumnorum Electorali-
um Ephoro, Academiæ Decem Viro, Collegii Majoris
Principum Collegiato, & ad D. Thomæ Pastori lon-
ge meritissimo,

Die XXX. Martii, Anno MDCC.

LOCO CONSVETO,

ORATIONE SOLENNI

S O L V E N D A,

LECTOREM BENEVOLUM

HUMANISSIME

INVITANT.



Uim nunc alteri maximarum Virtutum ac merito-
rum in Ecclesiam & Academiam nostram Theologo DN D. JO.
BENEDICTO CARPZOVIO, Collegæ nostro, dum in vivis esset, con-
junctissimo, jam desideratissimo, die ipsius funerali in orbem redeun-
te, justa funebria perfolvere paramus, nondum dememinisse possumus
elegantissimi illius Threni, quem David (2. Reg. I. a vers. 19. ad 27.) do-
loris ac pietatis nec non singularis cujusdam benevolentiae plenum,
in honorem *Saulis* atque *Jonathæ*, duorum in bello Philistino ex-
tinctorum Heroum, composuit. Qui usque adeo probatus est Israelitis & acceptus, tum ob ma-
teriæ gravitatem, tum propter singulare dicendi genus, ut omnium ori ac seculo fuerit familia-
ris & frequens in cantu. Sane Josephus, *Antiquitatum Judaicarum Libro VII. cap. 1.* ad suam
usque ætatem dicit cantari solitum. Et revera aliquid habet humanis numeris & artificio ma-
jus, neque mirum, quod tam alii arripuerint avide & conservarint diligenter, inque *Libro Re-
cti* (ut est v. 18.) in quo præcipuæ res gestæ populi DEI, qui vocabatur רשע RECTUS, a Viris piis
perscribebantur, ad majorem commendationem carminis nobilissimi describi curarint. Ne ve-
ro quis in primo statim limine offendatur eo, quod David deploraverit mortem Saulis, cum ta-
men hic impius, a Deo rejectus, & hostis ejus infestissimus, injustissimusque persecutor fuerit,
præcavit B. Brentius, ad hoc dubium, Davidis nomine, scite respondens: *Quanquam Saul aliqui
impius extiterit, quanquam plurima tyrannice gesserit: dolendum tamen est ob mortem ejus multis
nominibus. Primum, quod propter interitum ejus Philistini Inimici tui (o Israel) gloriabuntur.
O si quis efficere posset, ut cades Saulis non annunciaretur in Gath & Ascalon, hoc est in urbibus
Philistinorum! At cum hoc impossibile fuerit: ipsi enim sunt victores, & non modo Saulem perisse
sciunt, verum etiam corpus ejus in ludibrium suspenderunt; merito tibi (o Israel) ob tuum ipsius
dedecus tristandum est. Deinde plangendum est hoc quoque nomine, quod multis sæpe victoriis po-
tuitus sit, & fortitudine sua non tam inter suos, quam inter Gentes formidabilis fuerit. Qualis
qualis igitur coram Deo vixerit, tibi tamen (o Israel) Rex non malus extitit. Alii ad hoc respice-
re videntur, quod David non tam Saulem, quam in Saule ingens Israeliticæ Reipublicæ damnum,
luxerit. Ita Serarius: Παῖδος , inquit, est de publica strage dolentis, quasi dicat: *Utinam fieri
posset, ne hostes calamitatem hanc nostram resciscerent!* Similiter Sanctius in Commentario. Se-
bastianus Schmidius præterea observandum putat, in Saule multa fuisse egregia in morte ejus
haud reticenda, dum carmen ipsum Davidis lugubre ejus fortitudinem bellicam celebrat, aliquoties
(com. scilicet 19. 25. 27.) hæc repetens verba: *Quomodo ceciderunt fortes? In quibus certe Saul
fuerit præcipuus, imo (v. 11.) addat: ibi pollutum est scutum fortium, scutum Saulis. Et (vers.
22.) Gladius Saulis non reversus est vacuus. Laudari etiam in Saule, scribit, fidelem Reipublicæ ad-
ministrationem, dum Filie Israelis (v. 24.) jubeantur de Saule flere, quod vestiverit eas dibapho
cum deliciis, quod induxerit ornamenta super vestitum earum. Hæc ut in Saule digna laude
extiterint, sic deplorandum certe fuisse, quod Respublica iis per mortem ejus carere cogeretur. Et
licet jam tum, cum occideretur Saul, de meliori successore (Davide nimirum) constaret; non tamen
contemnenda fuisse, quæ Deus bona Reipublicæ per Saulem exhibuisset. Hæc sine dubio. Davidem
bona in carmine suo lugubri considerasse, & ut publico digna præconio celebrasse: quæ vero minus
laudabilia, publice non reprehendisse, sed ex lege charitatis silentio texisse, atque DEO dijudican-
da reliquisse, ne de mortuis male loquendo in suspicionem maligni animi & odii injusti incurreret.
Quanquam non plane reticuerit, sed modeste ac prudenter subindicarit, quando lamentatus dixerit:
Quomodo ceciderunt fortes? & sic, de causa quarendo, subinnuerit causam mortis Saulis, inobedi-
entiam scilicet erga Deum, injustamque Davidis persecutionem, quanquam cum candidi animi vo-
to optantis, ut non commissa fuissent ab ipso hæc & alia quævis peccata, ne tantum sua, sed & Jo-
nathæ, & exercitus Israelitici cadis causa extitisset. Quæ vero Saul contra se peccaverat, eorum
Davidem nullam fecisse mentionem, cum pii animi sit, talia proximo, maxime Magistratui suo,
condonare, & pro eo orare. Hæc B. Schmidius. E quibus omnibus satis patet, quod David me-
rito Saulis mortem, licet impii, & a Deo rejecti, nondum tamen ex throno deturbati, luxerit, &
pietas ab eo hoc requisiverit, idque eo magis, quia ut Regem & Socerum suum veneratus
fuerat illum. Nos, dubio hoc soluto, ad eximii Poetæ singulare hoc & omnibus partibus in
sua brevitate perfectum Epicedium revertimur, singula ejus membra brevi Commentariolo
illustrata profundiori Lectorum meditationi subjecturi. Et primo quidem ipso exordiendi
modo (v. 19.) docet, non esse eos qui cecidere e media turba, aut plagam acceptam esse vul-
garem,**

garem, aut ejusmodi, ut facili possit sanari medicina. Jubet ergo, ut Israel singula accurate consideret, quasi certo sciat, in illo vulnere reperiri causam, quæ aternam possit alere in animo bene in Rempublicam affecto lugendi materiam, cum Rex & Regia soboles & præstantissimi quique cum magno Reipublicæ detrimento occubuerint: *Caprea Israelis*, inquit, *in excelsis tuis confossa est: Quomodo ceciderunt fortissimi isti?* Alloquitur hic David, montes Gilboæ (ut infra v. 21. & 25.) in quibus Saul & Jonathan occubuerunt, suppressio tamen illorum nomine, quod ex præcedenti historia satis notum erat. *Capream Israelis* eleganter (posito singulari pro plurali) vocat Saulem & Jonathanem, quod, ut caprea in montibus habitant, sic illi in excelsis Gilboæ montibus ceciderint. Quia vero ingenuis animis nihil durius est, quam spectare hostes triumphantes in suis infortuniis, & tunc magis exultantes, cum ipsi maxime dolent, subjicit (v. 20.) hanc vocem lamentantis atque ignominiam ex fama deplorantis: *Ne indicetis Gathi, neque annuncietis in plateis Aschkelonis, ut non letentur filia Pelischtæorum, ut non exultent filia præputiatorum.* Quasi dicat: Eheu! quam doleo, quod tanta cum nostri ignominia res ista passim in Philistæis urbibus divulgetur. O, utinam ista hæc abesset ignominia, ut nostra sic tolerabilior foret calamitas! Hinc maledicit montibus istis (v. 21.) *O montes Gilboæ, nec ros nec pluvia decidat super vos, nec agri sitis frugiferi!* non quemadmodum homines infani creaturis maledicunt, sed quod vellet genti suæ monumentum luctus perpetuum & ad pœnitentiam invitamentum singulare extare, si Deus his montibus per subtractionem rosis ac pluvie malediceret. Quod addit: *Ibi abjectus est clypeus Heroum, clypeus Saulis, quasi non unctus fuisset oleo;* gravem hanc esse dolendi materiam innuit; quod defuerit patriæ clypeus & murus, Viri nempe fortes, qui impavidi per Hectoris oppositu vim hostilem arcerent, ita ut cum illo abjectum quoque videretur Hebræorum nomen, & gens, parentum gloria ac virtute nobilis, ad ignobilium hominum reducta servitutem. Et hoc David maxime dolet in Saule, ad scelus Amalekitæ (v. 10.) præprimis respiciens, quod ab eo non sine scelerata manu, quæ non curarit, quod esset *Unctus Domini*, occisus & mortuus, ejusque corpus ab hoste non aliter tractatum fuerit, quam si vulgare ac profanum corpus extiterit. Jamque progreditur ad Saulis & Jonathanæ laudes, eoque commendat partim *a fortitudine bellica* (v. 22.) *A sanguine confessorum, ab adipe fortium arcus Jonathanis non retrocessit, & gladius Saulis non reversus est vacuus.* Sic ergo neque Saulis gladius, neque Jonathanæ sagitta ullam habere petitionem vacuum ab hostium sive cæde sive sanguine, etiamsi adversarii sese contra objicerent bellatores, strenui ac robore præstantes; Partim *a conjunctione animorum amabili ac decora in vita & morte* (v. 23.) *Saul & Jonathan amabiles & jucundi in vita sua, etiam in morte non sunt separati.* In quo nihil est a veritate alienum, si meliora Saulis tempora consideres. Dum autem in morte quoque duos hosce Principes dicit non fuisse divisos, ostendit simul in vita, quicumque incideret casus aut negotium, extra Davidis causam, nunquam separatos fuisse; Partim *a robore corporis excellenti*, dum eos *præ aquilis veloces, præ leonibus validos* pronunciat. Posthæc convertit se (v. 24.) ad Filias Israel, eisque præcipue planctum super Rege suo indicit: *Filia Israelis, super Saule flete, qui amicum vestrum dibapho cum delicatis; qui imposuit ornatum auri super vestimenta vestra.* Mulieres enim & puella solebant choros ducere, sive in triumphis Ducum suorum, sive in luctu publico. Causam plangendi proponit accommodatam fœminarum sexui, qui *Φιλόκαλος* est, & elegantia studiosus, qui agre fert admodum his privati ornamentis, quæ hic dicuntur a Saule ex hostium, ut sanctius opinatur, spoliis ad muliebrem cultum atque delicias fuisse comparata. Schmi dius exponit hæc verba de mulierum defensione contra hostes, ut potuerint ditescere & cum ornatu incedere. Et hæc solum spectabant Saulem, utpote qui Rex & Jonathanæ pater priorem obtinere debuit locum in hoc ferali carmine: nunc Canticum ad Jonathanem traducit, ingeminando primum querelam suam v. 25. *Quomodo ceciderunt Heroes in medio prælii?* mox applicando eandem in specie ad Jonathanem: *Jonathan super excelsis tuis confossus;* tum suavi apostrophe ipsum compellando: *Dolet mihi super te, mi frater Jonathan: quia suavis fuisti mihi valde: mirabilis fuit amor tui mihi præ amore mulierum.* Ex solenni scilicet lugendi formula nomen fratris assumit. In planctu enim funebri sapius usurpari solet hæc solennia: *Væ frater, & væ soror, væ inclyte, & væ Domine* (Conf. Jer. c. XXII. 18.) *Amorem mulierum* Chaldaeus passive accepit de amore, quo amatae sunt duæ uxores illæ, Achinoam & Abigail, a Davide, sicut eum explicat R. David Kimchi, qui tamen *active* de amore, quo mulieres maritos amant & filios, intelligit. *Active* etiam R. Levi Ben Gerson de amore mulierum erga amafios suos exponit,

ponit, a quibus licet vapulent, aut maledictis onerentur, nihil tamen de amore suo remittant. Amorem mulierum *activum*, post Serarium & Sanctium, statuit etiam Brentius. Ita namque sensum Davidis exprimit: *Jonathan autem mihi plangendus est, quod fratris loco eum habuerim, quod amicissimus mihi fuerit, quod majori eum dilectione, quam in ulla muliere reperitur, complexus sum.* Alii amorem *activum* mulierum, quo hæc maritos vel sponfos amant, & *passivum*, quo a maritis & sponfis amantur, conjungunt. Res forte videtur non tanti momenti esse, ut propter eam adeo desudent, ac inter se dissentiant Interpretes: nisi quod, momente Schmidio, ordo ille, *quo homo deserit patrem & matrem* (quanto magis amicum?) *ut adhareat uxori suæ*, a Davide turbatus esse, non putari debeat. Ideoque dicit, amoris mulierum, quo David etiam ipse uxores suas amavit, hic mentionem fieri, tanquam summi inter amores hominum erga homines, cui tamen suum David præferat amorem, quo Jonathanem complexus est, tanquam singularem & extraordinarium divinitus conciliatum. Qui licet major fuerit summo uxorum amore, non turbavit tamen ordinem amoris a Deo institutum: cum extraordinarium non turbet ordinem, sed tantum super eum ascendat. Tandem hoc Epicedium David interrogatione consveta finit: *Quomodo ceciderunt Heroes, & perierunt arma prælii?* Ubi non male scribit Sanctius: *Poeticum* (vel *Rheticum*) *hoc est artificium, & interrogatio hæc sæpius iterata magnum habet momentum ad excitandum* (doloris ex amore orti) *affectum.*

Et quis nostrum non ingeminet quoque hoc funebre lamentum: *Quomodo ceciderunt Heroes & perierunt arma prælii?* quoties in memoriam sibi revocat luctuosissimas istas duorum Ecclesiæ nostræ Columinum, LEHMANNI puta & CARPZOVII, mortes. Plaga profecto ex eorum jactura accepta non est vulgaris aut talis, quæ facili possit sanari medicina. In hoc vulnere causa reperitur, quæ æternam possit alere in animo ægritudine propter confractionem Josephi affecto lugendi materiam. Abjectus est clypeus Heroum istorum, & jam deficere fere videntur Viri, qui, ut loquamur cum Ezechiele (cap. XXIII. 30.) *stare in fractura coram Deo*, hoc est piis precibus, informatione, elencho, correctione, modisque aliis imminenti malo occurrere, Deum placare, ne dissipetur hæc terra, & iram ejus a capitibus nostris averruncare possint. Utinam vero hostes Ecclesiæ non triumpharent in hac nostra calamitate, & eo magis nunc exultarent, cum maxime dolemus! Sed nolumus penitus desperare, & arma præ metu abjicere omnia reliqua. Nam *arcus belli*, ut verbis Kimchii nuper adductis utamur, *est in manibus filiorum Judah, & ipsorum est robur.* Siquidem magna post Deum, in potentissimo POLONIARUM REGE & SAXONIÆ ELECTORE, magna in iis, qui ipsi in Consilio Sanctiori & Ecclesiastico adsunt, magna in his, qui, in locum Duumvirorum istorum, Theologicæ cathedræ jam suffecti sunt, spes nobis posita est. Interea, cum LEHMANNUS & CARPZOVIVS, *amabiles ac decori in vita sua, etiam in morte non fuerint separati*, dignum visum est Facultati Theologicæ, ut a Viro sui ordinis Ultrique, die cujusque sepulchrali, Orationes Parentales in solenni Panegyri haberentur. Et quia nuper hoc officium præstitum est Venerando Seniori Dn. D. LEHMANNO, quem filiali semper amore complexus est CARPZOVIVS, idem ut præstetur huic Ejus Collegæ conjunctissimo, dies perendinus, qui in fastis commendatis est trigesimus Martii, suo quodam jure exigit. Sane fuerunt in hoc VIRO, quem solum CARPZOVII nomen, omni efficacius titulorum ambitione, venerabilem faciet posteris, præter *illam divinam dicendi facultatem*, virtutes universæ, quæ Theologum commendare solent: *Sacrarum literarum scientia perfecta, omnium quæ legerat memoria stupenda, in Ecclesiâ fides inconcussa, in religionis adversarios odium implacabile, in consiliis dandis promptitudo summa, in judicando par dexteritas, in sustinendis laboribus robur invictum.* Hæc igitur in eo abunde omnia scimus fuisse. Et ab his ac cæteris ejus virtutibus materiem differendi amplissimam in Oratione funebri sumet, qui ipsum ut Jonathanem suum in vita dilexit, *Vir maxime Reverendus & Excellentissimus* DN. THOMAS ITTIGIUS, *Theol. Doctor & Professor Publicus, Ingenue Cathedralis Misnenensis Canonicus, Consistorii Electoralis ac Ducalis Assessor, ad D. Nicolai Pastor, & per Diocæsin Lipsiensem Superintendens, Collega noster amantissimus.* Ad quem die perendino, post sacra matutina, in Majoris Principum Collegii A-croaterio audiendum, ut Magnificum Academiae RECTOREM, COMITES illustrissimos, utriusque Reipublicæ PROCERES amplissimos, nec non CIVES reliquos, multis verbis invitemus, vix opus habere videmur. Intimasse lessum suffecerit, quando & CARPZOVII virtus & ITTIGII eloquentia neminem non alliciet. P.P. Lipsiæ Domin. Judica, Ao. salutis

clō lccc.

FK La 5020

ULB Halle 3
002 727 501



1007

110



DECANUS

SENIOR ET RELIQVI DOCTORES
FACULTATIS THEOLOGICÆ

LIPSIENSIS

Ad
JUSTA ANNIVERSARIUM

VIRI

Summe Reverendo

DOMINO

JO. BENE
CARPZOVII

Theologiæ Doctor
Publico Ordinario, Facultatis
& Decano, Consistorii Episcopalis
Assessori, Canonico Misnenensi,
um Ephoro, Academiae Decem
Principum Collegiato, & ad
ge meritissimus

Die XXX. Martii,

LOCO CONSISTORII

ORATIONE

SOLVENS

LECTOREM BEATISSIMO

HUMANIS
INVITATIONE

